



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Ioannes Nugnetius Aethiopiæ patriarcha creatur & in Indiam mittitur. XIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

præditus, à foco, & culina, in qua fratribus ministrabat, ad tam gloriosum exitum assumptus est. Res autem nostræ ita sunt apud populos illos amplificatæ, vt in pagis oppidisque Saluatoris, Sancti Vincentij, Paratiningæ, Portus securi, Spiritus sancti, Illeos, Pernâbuci, & alijs nonnullis domicilia habemus: ad quæ constituenda, & nostros moderandos, Emanuelem Nobregam Ignatius præpositum Prouincialem creauit.

IOANNES NUGNES AETHIOPIÆ Patriarcha creatur, & in Indiam mittitur.

CAPVT XIII.

Flebant hæc in Brasilia, cum Ioannes Nugnes Patriarcha Aethiopiæ designatur. Eius rei ratio fuit huiusmodi: Sunt Aethiopes inter Christianos veteres in primis, qui partim à Beato Matthæo Apostolo, partim ab Eunucho Candacis Reginae Aethiopum, à Philippo baptizato, Christi fidem acceperunt. Sed Moyfis legem vel primi illi retinuerunt, vel abiectam repetiuerunt eorum posterij: & Christianæ fidei sinceritatem, Iudaicis ceremonijs inquinarunt. Nã & baptizantur,
& cir-

act. 8.

& circumciduntur, & Iudaismum cum Christiana religione ita confundunt, ut cum utriusque esse velint, neque Christiani, neque Iudæi planè sint. Et à Patriarcha Alexandrino, varijs Neotericorum Græcorum erroribus infecto, credendi regulam petunt. Propter longinquitatem porrò terrarum, & interfusas Barbarorum nationes, iam pridem nullo commercio cum nostris hominibus, aut communicatione iungebantur; donec Lusitani navigatione in Aethiopiam delati, ad Regem (Præste Iannem vocant) peruenerunt, eumque consuetudine, & præclaris rebus gestis ita demeruerunt, ut aditum in Aethiopiam suis aperirent, & commercij locum darent. Quibus rebus permotus David Aethiopiæ Rex, Emanuelis Lusitaniæ Regis (qui clarissimis victorijs Christianam Religionem ad Orientem magnopere amplificauit), amicitiam appetit: ad Clementem VII. Pont. Max. per Lusitanos homines scribit, agnoscere se Romanum Episcopum, vniuersalis Ecclesiæ pastorem. Optare idcirco atque omnibus precibus ab ipso petere, ut, qui omnium magister est, eos in Aethiopiam doctores mittat, à quibus ipsi ad rectam

rectam sinceræ fidei normā instituan-
 tur. Regem ipsum Lusitaniæ rogat, vt
 suam autoritatem apud Pontificem in-
 terponat. Acta res est à Lusitano Rege
 diligenter sanè, sed perturbatione tem-
 porum impedita, & ad Iulium III.
 vsque protracta. Qui rei magnitudine
 adductus, & Ioannis tertij Lusitaniæ
 Regis, qui patri Emanueli non ma-
 gis in regno, quàm in amplificandâ
 Religionis studio iam successerat, pre-
 cibus, Ioannem Nugnem Lusitanum
 (eum quem superioribus annis in
 Mauritania Christianis captiuus redi-
 mendis operam nauasse diximus) Ae-
 thiopiæ Patriarcham cum summa po-
 testate constituit. Andream Oui-
 dum Castellanum, Melchiorumque
 Carnerium Lusitanum, Episcopos cre-
 at, & Patriarchæ adiutores, & succes-
 sores adiungit. Quos honores Socie-
 tas postquam humiliter modesteque
 repudiavit, accipere demum coacta
 est: & quidem magna ipsius Societatis
 commendatione, quod amplissimis
 honoribus repudiatis, eos tamen dice-
 ret Pontifex Societatem accipere, qui
 præter labores pro Christo, capitisque
 pericula, nihil haberent splendoris
 aut fructus, quo alicere ad se homines
 pos-

Lib. 3.
 c. 18.

possent, Patriachæ, & focijs Episcopis, nouē alios comites Ignatius addidit, Italos, Flandros, Lusitanos, Castellanos. Quos omnes Ioannes idem optimus Rex per benignè complexus, cum alijs muneribus, tum vestibus sacris, ijsque omnibus, quæ ad pontificium cultum, & cæremonias pertinent, regio sumptu donatos, cum magna classe in Indiam misit, vt inde ad Claudium Regem, Dauidis iam mortui successorem in Aethiopiam trajicerent.

*CAESAR AVGVSTAE SEDITIO-
ne ab aduersarijs concitata, nostri vrbe
cedunt: mox honorificè reuo-
cantur.*

CAPVT XIII.

SVb idem tempus, Cæsaraugustæ grauis in nostros tempestas cōcitur. Eam, quòd omnium, quibus ad hunc diem Societas defuncta est, maximā iudico, exitu verò etiam latissimam, paulò latius explicabo. In vrbe enim Hispaniæ nobilissima, atque amplissima, cognita iam multis, & probata Societate, per viros professione religiosi gestata res est, Cæsaraugustæ igitur adcs